

I DE HEREDIOLO (32 vers)

v.1 Salve, herediolum, majorum regna meorum,
 2 quod proavus, quod avus, quod pater excoluit,
 3 quod mihi jam senior properata morte reliquit :
 4 eheu nolueram tam cito posse frui !
 5 Justa quidem series patri succedere, verum
 6 esse simul dominos gratior ordo piis.
 7 Nunc labor et curae mea sunt ; sola ante voluptas
 8 partibus in nostris, cetera patris erant.
 9 Parvum herediolum, fateor, set nulla fuit res
 10 parva umquam aequanimis, adde etiam unanims.
 11 Ex animo rem stare aequum puto, non animum ex re.
 12 Cuncta cupit Croesus, Diogenes nihilum.
 13 Spargit Aristippus mediis in Syrtibus aurum,
 14 aurea non satis est Lydia tota Midae.
 15 Cui nullus finis cupiendi, est nullus habendi ;
 16 ille opibus modus est, quem statuas animo.
 17 Verum ager iste meus quantus sit, nosce, etiam me
 18 noveris et noris te quoque, si potis es.
 19 Quamquam difficile est se noscere : gnothi seauton
 20 quam propere legimus, tam cito neglegimus.
 21 Agri bis centum colo jugera, vinea centum
 22 jugeribus colitur prataque dimidio.
 23 Silva supra duplum, quam prata et vinea et arvum ;
 24 cultor agri nobis nec superest nec abest.
 25 Fons propter puteusque brevis, tum purus et amnis ;
 26 naviger hic refluxus me vehit ac revehit.
 27 Conduuntur fructus geminum mihi semper in annum.
 28 Cui non longa penus, huic quoque prompta fames.
 29 Haec mihi nec procul urbe sita est, nec prorsus ad urbem,
 30 ne patiar turbas utque bonis potiar.
 31 Et quotiens mutare locum fastidia cogunt,
 32 transeo et alternis rure vel urbe fruor.

II VERSUS PASCHALES PRO AUGUSTO DICTI (31 vers)

v.1 Sancta salutiferi redeunt sollemnia Christi
 2 et devota pii celebrant jejunia mystae.
 3 At nos aeternum cohibentes pectore cultum
 4 intemeratorum vim continuamus honorum.
 5 Annua cura sacris, jugis reverentia nobis.
 6 Magne pater rerum, cui terra et pontus et aer
 7 Tartaraque et picti servit plaga lactea caeli,
 8 noxia quem scelerum plebes tremit almaque rursus
 9 concelebrat votis animarum turba piarum :
 10 tu brevis hunc aevi cursum celeremque caducae
 11 finem animae donas aeternae munere vitae.

12 Tu mites legum monitus sacrosque prophetas
 13 humano impertis generi servasque nepotes,
 14 deceptum miseratus Adam, quem capta venenis
 15 implicuit socium blandis erroribus Aeva.
 16 Tu verbum, pater alme, tuum, natumque deumque,
 17 concedis terris totum similemque paremque,
 18 ex vero verum vivaque ab origine vivum.
 19 Ille tuis doctus monitis hoc addidit unum,
 20 ut, super aequoreas nabat qui spiritus undas,
 21 pigra inmortalis vegetaret membra lavacro,
 22 trina fides auctore uno, spes certa salutis
 23 hunc numerum junctis virtutibus amplectenti.
 24 Tale et terrenis specimen spectatur in oris
 25 Augustus genitor, geminum sator Augustorum,
 26 qui fratrem natumque pio complexus utrumque
 27 numine, partitur regnum neque dividit unum,
 28 omnia solus habens atque omnia dilargitus.
 29 Hos igitur nobis trina pietate vigentes,
 30 rectores terrae placidos caelique ministros,
 31 Christe, aput aeternum placabilis adsere patrem.

III ORATIO CONSULIS AUSONII VERSIBUS RHOPALICIS (42 vers)

v.1 Spes, deus, aeternae stationis conciliator,
 2 si castis precibus veniales invigilamus,
 3 his, pater, oratis placabilis adstipulare.
 4 Da, Christe, specimen cognoscier inreprehensum.
 5 Rex bone, cultorum famulantum vivificator,
 6 cum patre majestas altissima ingenerato.
 7 Da trinum columen paraclito consociante,
 8 ut longum celebris devotio continuetur.
 9 Ad temet properant vigilatum convenienter.
 10 Nox lucem revehet funalibus anteferendam,
 11 nox lumen pariens credentibus indubitatum,
 12 nox flammis operum meditatrix sidereorum.
 13 Tu mensis dirimis jejunia relligiosa,
 14 tu bona promittens surgentia concelebraris :
 15 da, rector, modicos effarier omnipotentem.
 16 Fons tuus emundat recreatu justificatos,
 17 dans mentem oblitam positorum flagitiorum,
 18 dans agnos niveos splendescere purificatos,
 19 ut nova Jordanis ablutio sanctificavit,
 20 cum sua dignati tinguentia promeruerunt.
 21 Lux verbo inducta, peccantibus auxiliatrix,
 22 et Christus regimen elementis inrequietis
 23 fert undam medici baptismatis intemeratam,
 24 ut noxam auferret mortalibus extenuatam.
 25 Crux poenae extremum properatast immaculato,
 26 ut vitam amissam renovaret mortificatus.
 27 Quis digne domino praeconia continuabit
 28 tot rerum titulis obnoxius immodicarum ?
 29 An terra humano locupletat commemoratu,
 30 quem vocum resonant modulatus angelicarum ?
 31 Dans aulam Stephano pretiosam dilapidato,
 32 dans claves superas cathedrali incohatori,
 33 quin Paulum infestum copulasti adglomeratu.
 34 Fit doctor populi lapidantum constimulator,

35 ut latro confessor paradisum participavit,
 36 sic, credo, adnectens dirissima clarificandis.
 37 Nos seros famulos ad crescere perpetieris
 38 sub tali edoctos antistite relligionis ;
 39 da sensum solida stabilitum credulitate.
 40 Fac jungar numero redivivo glorificatus,
 41 ad caelum invitans consortia terrigenarum,
 42 spes, deus, aeternae stationis conciliator !

IV EPICEDION IN PATREM (64 vers)

PRAEFATIO

E1 [Oratio soluta]

E2 v.1 Nomen ego Ausonius, non ultimus arte medendi
 2 et, mea si nosses tempora, primus eram.
 3 Vicinas urbes colui patriaque domoque,
 4 Vasates patria, sed lare Burdigalam.
 5 Curia me duplex et uterque senatus habebat
 6 muneris exsortem, nomine participem.
 7 Non opulens nec egens, parcus sine sordibus egi :
 8 victum, habitum, mores semper eadem habui.
 9 Sermone inpromptus Latio, verum Attica lingua
 10 suffecit culti vocibus eloquii.
 11 Optuli opem cunctis poscentibus artis inemptae
 12 officiumque meum cum pietate fuit.
 13 Iudicium de me studui praestare bonorum :
 14 ipse mihi numquam, iudice me, placui.
 15 Officia in multos diverso debita cultu
 16 personis, meritis, tempore distribui.
 17 Litibus abstinui : non auxi, non minui rem ;
 18 indice me nullus, set neque teste perit.
 19 Invidi numquam : cupere atque ambire refugi ;
 20 jurare aut falsum dicere par habui.
 21 Factio me sibi non, non conjuratio junxit :
 22 sincero colui foedere amicitias.
 23 Felicem scivi non qui, quod vellet, haberet,
 24 set qui per fatum non data non cuperet.
 25 Non occursator, non garrulus, obvia cernens,
 26 valvis et velo condita non adii.
 27 Famam, quae posset vitam lacerare bonorum,
 28 non finxi et, veram si scierim, tacui.
 29 Ira procul, spes vana procul, procul anxia cura
 30 inque bonis hominum gaudia falsa procul.
 31 Vitati coetus ejuratique tumultus
 32 et semper fictae principum amicitiae.
 33 Deliquisse nihil numquam laudem esse putavi
 34 atque bonos mores legibus antetuli.
 35 Irasci promptus properavi condere motum
 36 atque mihi poenas pro levitate dedi.
 37 Conjugium per lustra novem sine crimine concors
 38 unum habui : gnatos quattuor edidimus.
 39 Prima obiit lactans ; at qui fuit ultimus aevi,
 40 pubertate rudi non rudis interiit.
 41 Maximus ad summum columnen pervenit honorum,

42 praefectus Gallis et Libyae et Latio,
 43 tranquillus, clemens, oculis, voce, ore serenus,
 44 in genitore suo mente animoque pater.
 45 Hujus ego et natum et generum pro consule vidi ;
 46 consul ut ipse foret, spes mihi certa fuit.
 47 Matronale decus possedit filia, cujus
 48 egregia et nuptae laus erat et viduae.
 49 Quae nati generique et progeneri simul omnium
 50 multiplici inlustres vidit honore domos.
 51 Ipse nec affectans nec detrectator honorum
 52 praefectus magni nuncupor Illyrici.
 53 Haec me fortunae larga indulgentia suasit
 54 numine adorato vitae obitum petere,
 55 ne fortunatae spatium inviolabile vitae
 56 fatali morsu stringeret ulla dies.
 57 Optinui auditaque preces : spem, vota, timorem
 58 sopitus placido fine relinquo aliis.
 59 Inter maerentes, sed non ego maestus, amicos
 60 dispositis jacui funeris arbitriis.
 61 Nonaginta annos baculo sine, corpore toto
 62 exegi, cunctis integer officiis.
 63 Haec quicumque leges, non aspernabere fari :
 64 "Talis vita tibi, qualia vota mihi".

V PRECATIO CONSULIS DESIGNATI PRIDIE KAL. IAN. FASCIBUS SUMPTIS (52 vers)

Pl v.1 Jane, veni : novus anne, veni : renovate veni, Sol,
 2 consulis Ausonii Latiam visure curulem.
 3 Ecquid ab Augusta nunc majestate secundum
 4 quod mireris habes ? Roma illa domusque Quirini
 5 et toga purpurei rutilans praetexta senati
 6 hoc capite aeternis signat sua tempora fastis.
 7 Anne, bonis coepte auspiciis, da vere salubri
 8 apricas ventorum animas, da roscida Cancro
 9 solstitia et gelidum Boream Septembribus horis.
 10 Mordeat autumnis frigus subtile pruinis
 11 et tenuata moris cesset mediocribus aestas.
 12 Sementem Notus humificet, sit bruma nivalis,
 13 dum pater antiqui renovatur Martius anni.
 14 Spiret odorato florum nova gratia Maio,
 15 Julius et segetes coquat et mare temperet Euris,
 16 Sirius ardentem non augeat igne Leonem,
 17 discolor arboreos variet Pomona sapes,
 18 mitiget autumnus, quod maturaverit aestas,
 19 et genialis hiems parta sibi dote fruatur.
 20 Pacem mundus agat nec turbida sidera regnent.
 21 Nulla tuos, Gradive, offendat stella penates,
 22 quae non aequa tibi ; non Cynthia, non celer Arcas
 23 finitimus terris ; non tu, Saturne, supremo
 24 ultime circuitu. Procul a Pyroente remotus
 25 tranquillum properabis iter. Vos cominus ite,
 26 stella salutigeri Jovis et Cythereie Vesper,
 27 non umquam hospitibus facilis Cyllenius absit.
 28 Jane, veni : novus anne, veni : renovate veni, Sol.
 29 Hostibus edomitis, qua Francia mixta Suebis
 30 certat ad obsequium, Latiis ut militet armis,
 31 qua vaga Sauromates sibi junxerat agmina Chuni,

32 quaque Getes sociis Histrum adsultabat Alanis
33 (hoc mihi praepetibus Victoria nuntiat alis) ;
34 jam venit Augustus, nostros ut comat honores,
35 officio exornans, quos participare cupisset.
36 Jane, veni : novus anne, veni : renovate veni, Sol.
37 Aurea venturo, Sol, porrige gaudia Jano :
38 fascibus Ausonii succedet Caesar in annum,
39 quintam Romulei praetextam habiturus honoris.
40 Ecce ubi se cumulat mea purpura (mitibus audi
41 auribus hoc, Nemesis) , post me dignatur oriri
42 Augustus consul. Plus quam conferre videtur
43 me sibi, qui jussit nostros praecedere fasces.
44 Jane, veni : novus anne, veni : renovate veni, Sol.
45 Coge secuturos bis sena per ostia menses.
46 Tu tropicum Soli da cedere, rursus et illum
47 terga dare, ut duplex tropico varietur ab astro
48 et quater a ternis properet mutatio signis.
49 Aestivos inpelle dies brumamque morantem
50 noctibus acceleret promissus Caesaris annus.
51 Illum ego si cernam, tum terque quaterque beatus,
52 tunc ero bis consul, tunc tangam vertice caelum

ITEM PRECATIO KAL. IANUARIIS (16 vers)

P2 v.1 Anne, bonis coepte auspiciis, felicia cernis
 2 consulis Ausonii primordia : prome coruscum,
 3 Sol aeterne, caput solitoque inlustrior almo
 4 lumine purpureum jubar exsere lucis eoae.
 5 Anne, pater rerum, quas Jani mense bifrontis
 6 volvis in hibernum glaciali fine Decembrem,
 7 anne, veni et festum veteri novus adice Janum.
 8 Sollemnes pervade vias bis senaque mundo
 9 curricula aequatis varians per tempora signis
 10 praecipitem aeterna perfer vertigine cursum,
 11 sic prono raptate polo, contraria Phoebus
 12 ut momenta ferat servata parte dierum
 13 et novus hiberno reparat sua lumina pulsu.
 14 Menstrua ter decies redeunt dum cornua Lunae,
 15 exortus obitusque manu volvente rotabis,
 16 legitimum Phoebi cohibens per signa meatum.